

## TSJCL Area F Sight Recitation 2015

**Advanced - Prose (Level 3): *De Bello Gallico* Book II, Paragraph 3.**

*Eō cum dē imprōvisō celeriusque omnī opiīniōne vēnisset, Rēmī, quī proximī Galliae ex Belgīs sunt, ad eum lēgātōs Iccium et Andecumborium, prīmōs cīvitātis, mīsērunt, quī dīcerent: sē in fidem atque potestātem populī Rōmānī sē suaque omnia permittere; neque sē cum Belgīs reliquīs cōnsēnsisse neque contrā populum Rōmānum coniūrāvisse, parātōsque esse et obsidēs dare et imperāta facere et oppidis recipere et frūmentō cēterīsque rēbus iuvāre.*

*Reliquōs omnīs Belgās in armīs esse, Germānōsque quī cis Rhēnum incolent sēsē cum hīs coniūnxisse. Tantum esse eōrum omnium furōrem ut nē Suessiōnēs quidem, frātrēs consanguineōsque suōs (quī eōdem iūre et īsdem lēgibus ūterentur, ūnum imperium ūnumque magistrātum cum ipsīs habērent), ab hāc coniūratiōne dēterrēre possent.*